


Merg  
14









DISPUTATIO JURIDICA

De

LEGE REGIA

ROMANORUM

Quam

Favente Deo

Sub PRÆSIDIO

Nobilissimi, Excellentissimi, Consultissimiq;

VIRI

DN. JOH. FRIDERICI BÖCKELMANNI  
J. V. D. ejusdemq; Facultatis in Celeberrima & anti-  
quissima Heidelbergensi Academia Professoris Ordina-  
rii p. t. Rectoris Magnifici, & Electoralis Curiaë  
Aulicæ Assessoris,

Præceptoris & Fautoris sui æternum colendi.

Publicè ventilandam proponit.

FRID. WILHELMUS AB HOVE Eq: Clivensis,  
Author & Respondens.

Ad diem Septembris horis locoq; solitis.



HEIDELBERGAE,

Typis ADRIANI WYNGAERDEN, Academiaë  
Typographi Anno MDCLXI.

P. 412

9

1661, 2







SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPI, AC DOMINO,

DOMINO,



RIDERICO

WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI,  
SAC. ROM. IMPERII ARCHI-CAMERARIO,  
ET PRINCIPI ELECTORI, MAGDEBURGI,  
PRÜSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM,  
STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM ET  
VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA,  
CROSNÆ, JEGERNDORFFIQUE DUCI, BURGRAVIO  
NORIBERGENSEI, PRINCIPI HALBERSTAD. ET  
MINDENS. COMITI MARCHÆ ET RA-  
VENSBURGI, DOMINO IN RA-  
VENSTEIN, &c.

Principi ac Domino suo Clementissimo.

Typis A. D. R. I. A. N. I. W. I. N. G. A. R. D. E. N. A. C. A. D. E. M. I. E.  
Typographi Anno c. 1711.



SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR,  
DOMINE CLEMENTISSIME.

**Q**uoties mihi in mentem venit dignissimum scitu *Strab. serm.*  
Iusjurandum, quo Athenienses Reipublicæ suæ *41. de Re-*  
suos adstringebant Ephebos, his verbis conceptum: *publ.*

Non ignominia afficiam arma sacra, neque deferam me-  
um Commilitonem quocum junctus fuero. Dimicabo  
pro aris & focus, & solus & cum multis. Patriam non  
derelinquam in deteriori statu, sed ampliori meliori-  
quam acceperim. Semper Magistratui Præfecto pruden-  
ter obediam, & legibus cõstitutis parebo atque aliis qui-  
buscunque plebiscitis: Quod si quis leges vel irritas fa-  
cere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed  
ulciscar, & solus & cum pluribus. Sacra quoque patria  
colam. Horum Dii mihi testes & conscii funto.  
*Toties obsequii, fideique, quam vestræ Serenitati,  
Patriæque etiam Ephebus debeo, recordatus sollici-  
tusque fui, quo factò hæc quoque ætate humillimâ sub-  
jectione, obsequii amore, piâ gratitudine, fidelitateque in-  
censum animum Vestræ Serenitati probare possem. At  
dum in hac Academica palæstra Patri Patriæ imâ  
præstandis devotione servitiis me compono, paroque, pre-  
tio ambitiosius quod adferam non habeo, quam hoc in  
publico privatoque Iure meum specimen, de antiqua*

LEGE REGIA Romanorum nimirum breviter  
compositas theses. Eas Vestra Serenitas sibi sum-  
mâ cum veneratione oblatas sacratasque screnâ ( hu-  
milimè



*millimè precor!) acceptet fronte. Nec enim mihi nunc per sortem aliud licet, quam exiguo hoc etsi indictio, animi tamen devotissimi sic exprimere sensa. Id insuper calidissimum addo votum, ut Cœlestis summusq; rerum Arbiter Vestræ Serenitati (ut inceptit) successum (quem omnis Orbis miratur, & deprædicat) tot tantarumq; regionum latissimi fœlicissimique simul regiminis diu multumque producat, Heroique nostro seculo majori, Patri patriæ, veræ religionis Asylo, hostium suorum Formidini, subditorum Amori, tantis belli togæque gerendis Nato. (Plura dextissem longè maxima, nisi universarum laudum mole obrutus vel unam virtutem, Clementiam scilicet exercitam in Serenitati Vestræ subjectissimos servos, & parentem & me satis deprædicare nequirem) Nestoreos annos concedat, totamque Domum Serenissimam salvam & incolumem conservet. Dabam Heidelbergæ VIII. Kal. Septembris.*

*Vestræ Serenitatis.*

*Subjectissimus Obsequentissimus.*

FRIDERICUS WILHELMUS  
ab HOVE.



## D. O. F.

## CONCLUSIO I.

## §. I.

**N**ulla est respublica quæ unum semper eundemque retineat statum, sed quælibet suas habet periodos, & mutationes. Quæ nunc uni, mox pluribus, & vice versâ paret. Sic populus Romanus, mox popularem experitur statum, mox ad Monarchiam venit, inde per gradus lapsus, post tentatas alias species, ad unius imperium redit. Vagus populus primum, ad Romulum & sequentes confugit Reges. Sed postea excusso jugo Regio prætextu superbiæ & luxuriæ Tarquinii, per Consules regimen iniit, & per Comitia. Rursum per Decemviros. Et his quoque fastiditis rediit ad Consules, inde ad unius Dictatoris Imperium semestre: postea ad Consules & Tribunos. Tandem denique ad illam Regiam dignitatem, cujus cum nomen exosum haberetur, sub mitiori IMPERATORIS titulo Augusto omnem potestatem commisit. excitatâ LEGE REGIA.

## §. II.

Famosissima illa sane est, sive momentum rei, quod continet, spectes, sive difficultates, quas de certitudine, validitate & sensu ejusdem dissentientes aliter atque aliter Doctores, Disputationibus suis in medium producerunt.

Mihi ( quando nunc etiam in veritatem rei hujus hoc Academico exercitio inquirere libet ) commodissimum



mum videtur, si prius nomen, post rem ipsam paucis explanavero.

## §. III

De vocabulo *Lex* plura hic adducere nec necessum, nec ad scopum præsentem est. Vocis *Regia* paronymia seu derivatio est à voce Regis: non quidem efficienter, quod Rex aliquis hanc *LEGEM REGIAM* tulerit, sed objectivè, quod lex hæc de Regis potestate confecta sit, unde & lex Imperialis dicitur l. 3. C. de testament. Quàmvis *Lex Regia* etiam aliter accipiatur sæpè, unde & videnda homonymia vocabuli.

## §. IV.

*Regia enim Lex* dicitur, 1. quæ à Rege aliquo lata sit, quo sensu ea vox accipitur in l. 2. ff. de mort. inferend. ubi *Lex Regia* jubet ne mulier quæ prægnans mortua est, humetur antequam partus excidatur. Hanc enim à Romulo aut Numa Pompilio latam esse probabile facit *Hottoman. in Ind. Rom. leg.* Unde perperam hanc cum superiori *Wesemb.* aliisq; confundunt, eisdemve partem faciunt.

## §. V.

2. *Lex Regia* dicitur ita, quod plana & sine diverticulis est, quo sensu & via regia dicitur, & hæc vox in sacris accipitur *Jacob. cap. 2. vers. 8.* ibi: *Quod si legem Regiam præstatis secundum scripturam, Diliges proximum tuum ut te ipsum, benefacitis.* Vide *Bez. in not. ibid.*

## §. VI.

3. Deniq; accipitur *Lex Regia* pro ea, quæ de potestate & Imperio Regis lata est, Qualis Germanis est  
Aurea



Aurea Bulla Caroli Quarti cæteræq; capitulationes, ut videre est ex Carpzovii tractatu de lege Regia Germanorum. Qualis etiam ab Hetruscis Tarquinius Priscum in Regem poscentibus facta est, ut ex Halicarnas: refert Tholosan. *Syntag. lib. 47. cap. 28.* Talis etiam à Romanis transacta, sed Hetruscorum illâ limitatâ (cautum enim erat ut translato in Regem quidem Imperio, is tamen Hetruscorum neminem occideret, exilio pecuniâve mulctaret, civitates ipsas sine prædiis relinqueret sine actionibus easq; suis legibus vivere permetteret, in nullo statu reipubl. mutato. Dion. Halic. 3.) longè amplior & splendidior. omni per eandem in Principem translata potestate. §. 6. *Inst. de jur. nat. Gent. & Civil. l. 1. ff. de Constit. Princ. l. 2. §. novissime ff. de orig. jur. Const. de concept. ff. & l. 1. C. de vet. jur. enucl. l. ult. §. pen. Cod. de Caduc. toll. Theoph. in §. tres diximus Inst. de jur. nat. gent. & Civil. Livius lib. 34. histor.*

## §. VII.

Hæc Regia lex (ut & synonymiam paucis tangamus) in jure nostro vocatur etiam aliquando AUGUSTUM PRIVILEGIUM. *l. ult. §. penult. Cod. de Caduc. scilicet ab Imperatore Augusto.* Sub cuius inductum imperio est. unde & quandoq; LEX AUGUSTI dicitur. *l. 14. in fin. ff. de manu miss. test.* quandoque LEX IMPERII *l. 3. Cod. de testamentis.* Quandoque Regia. *d. §. 6. d. l. 1.* Hæc de nomine.

## CONCLUSIO II.

## §. I.

Nunc ad rem ipsam transiturus. in causam & originem Augusti Privilegii hujus ante omnia inquirendum puto.



puto. Causam autem & quidem efficientem ejusdem esse voluntatem populi, quicquid habebat adhuc imperii, abdicantis. Mirum auditu sanè est, Populares, qui etiam ad Monarchiæ nominis sonum exhorrescere solent, unum Monarcham constitnere velle! Itane Quirites sibi met dissimiles libertatem multo Civium sanguine partam & retentam dimitterent? Id vero multis persuaderi non potest. Res tamen ita sese habet. Quamvis enim plebs Romana per secessionem primò in Montem sacrum trans amnem Anienem anno decimo sexto à Regibus exacto ab U. C. 260. creandorum sibi ex corpore suo Tribunorum adversus senatum, potestatem acceperit, eorumque authoritatem, secundâ secessione in Montem Aventinum, anno 305. U. C. ita auxerit, ut abdicatis Decemviris, Cofs. L. Valerio & M. Horatio lex (*Quod plebs tributim jussisset, id Populum teneret*) centuriatis comitiis lata, eaque postea tertiâ secessione in Janiculum Q. Hortensio Dictatore, per aliam Hortensiam Legem confirmata, tandemq; anno 308. etiam impetratum fuerit, ut de Plebis corpore Tribuni militum, denique Consul, Dictatores, Magistri equitum, Pontifices maximi & omnes Magistratus crearentur. Quamvis inquam Plebs Majestatem summam sibi tandem comparaverit, ita paulatim in meram Democratiam Republ. Romanâ abeunte. *Suth. de jurisd. mer. & mixt. Imp. aph. 60.* Partam tamen conservare nescivit libertatem. Primus namq; Cajus, Julius Cæsar neglecto Regis & Imperatoris fastuoso titulo sub specie & prætextu Defensoris, devictis potentioribus vel fugatis suis adversariis, Dictator perpetuus factus, plebe jam de plenâ recuperatâ libertate sibi frustra gratu-



gratulante ) revera Regiam iterum potestatem occupa-  
 vit. *Suet. in Vit. Cæs.* Nec tamen tam callidè agere affe-  
 ctatave clementiâ populo illudere poterat, quin pruden-  
 tiores id subolefacerent, eoque maturè 22. vulneribus in  
 curia confecto in eum statum rem Romanam reducerent,  
 ut trucidato Cæsare & Pompejo, pristinae libertati restitu-  
 ta fuisset, nisi aut Pompejus liberos aut Cæsar heredem  
 reliquisset. *Flor. lib. 4.* Salva fuisset, nisi ad servitutum  
 ipsa confugisset! Sed potior populi pars Cæsariano no-  
 mini admodum addicta, Cæsari Octaviano Julii heredi  
 & filio adoptivo adhæsit. Is nece patris adoptivi in In-  
 terfectoribus vindicatâ, Sexto Pompei Magni filio cæte-  
 terisque hostibus Julianis oppressis, ubi militem donis,  
 populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, munia  
 Senatus Magistratumque ad se pertraxit. Imperatoris  
 nomine sibi à Populo decreto, *Besold. tr. posth. jur. publ.*  
*lib. 1. c. 3.* Sic sæpe magna legum atque morum mutatio  
 latenter obrepit, quasi inter parum & nihilum non inter-  
 fit quicquam. *Aristot. lib. 5. polit. c. 3.* Quam enim Po-  
 pulus amittere metuebat, summam potestatem eam am-  
 babus manibus in ulnas Augusti alio velo obductam con-  
 tulit. Dionis hac de re juvat adferre verba. *Quibus re-*  
*bus (inquit) confisus & ornatus cepit agere de regno de-*  
*ponendo, & republica restituenda: tamen ei contra vo-*  
*luntatem accidit: nisi id ei magis ex animi sententia dica-*  
*mus evenisse, quod ficta hæc fuerit, & simulata postulatio.*  
*Nam qui per vim & injuriam regnum occupaverunt, cu-*  
*piunt id videri sibi ex voluntate Civium esse delatum, ob*  
*eamque causam ad hanc delinitionem & simulationem*  
*procedunt. Dum hæc Cæsar petit, conclamant omnes*  
*partim doloso & malitioso consilio, partim timore adducti,*

B

qui



qui eam rem suspectam haberent, nonnulli etiam ex animo  
 qui paulo erant prudentiores, Principe deinceps opus esse,  
 & quæ eò spectabant congerebant omnia quousque eum im-  
 perare coegerunt. §. II. Imperator ergò dictus & factus à  
 Populo est Augustus. Romulus vocari amabat quidem  
 Cæsar. Sed id regiam redolens potestatem nimis ex-  
 osum. Dulcius erat Imperatoris Augusti nomen. Hu-  
 jus nominis appellatio (pergit Dio) ad cæteros qui eum  
 subsecuti sunt pertinuit propter summum & amplissimum  
 eorum Imperium. Nec sunt Reges aut Dictatores ap-  
 pellati. Oppressa & extincta republ. sed eorum facta &  
 potestas Imperatoris verbo continentur. Hanc autem  
 vim habent supra dicta vocabula, ut ex iis possint conscri-  
 bere milites bella inferre, pecuniam colligere, ac postremo  
 Senatoribus mortem afferre. Quid est potestatem in  
 Principem transferre, si non hoc est? In eo Dioni lib. 53.  
 suffragantur, Suetonius Tranquillus, Strabo lib. 6.  
 Geographiæ & Tacitus in annalibus, unde & extra dubi-  
 tationis aleam esse puto, Rempublicam Romanorum in  
 Monarchiã tum abiisse. Quod vero id factum sit latã ejus  
 rei causa *Lege Regia*, id vero compluribus antiquitatum  
 Romanarum peritissimis persuaderi nequit. Nec mi-  
 rum. Tantum enim de hac Lege silentium est apud Hi-  
 stóricos, ut incognita plane fuisset, nisi Hottomannus in  
*ind. LL. Rom. & ad §. 6. Inst. de jur. Nat. Gent. & Civil.*  
 eandem primus (ut ait *A. Math. disp. d. L. R.*) ex anti-  
 quitatibus eruisset? Et sane si historias videas, Credibile  
 non videtur tanti momenti Legem Romani Imperii  
 fundamentalem, Si unquam facta esset, vel plane non vel  
 tam obscure tractatam esse. Hujusne sanctionis nomen,  
 tempus, locum cæterasq; circumstantias Tacitus scriptor  
 istius



istius temporis & materiæ accuratus reticuiſſet? Perit forte (inquies) iſthæc, uti aliæ operæ Taciti. Tantæne rei apud reliquos Historicos etiam nullum veſtigium eſſet? Qui tamen minoris momenti leges Julias, Fabias, Viſellias, & quas non ſollicitè tradidère. Ego Legum ferendarum ſolenni modo REGIAM noſtram tempore Auguſti anno U.C. 742. ſecundum alios anno 729. C. Cæſare Aug. 10. & C. Norbano, Coſſ. latam eſſe, deficiente analogiâ Historicâ dicere non auſim. Interim tamen legem Regiam aliquando latam atque ita dictam eſſe, ſatis probatur ex Jctorum Veterum monumentis, Imperatorum reſcriptis, accedente hiftorica fide Livii lib. 34. Sed id Romuli factum tempore ait Livius: hiſce: *Ex utro tandem genere ea lex eſſe videtur quam abrogamus? an vetus regia lex? ſimul cum ipſa Urbe nata.* Et ſane veriſimile eſt, quando populus primo vagus Romulum acceſſit actum aliquid legemque de novo Imperio Regeque regiam latam eſſe. Ea ſine dubio fuit, ut uni ſumma rerum potito Romulo leges ferre liceret, ut apparet ex Dion. Halicarn. lib. 2. Ad hanc Legem tempore Auguſti rediſſe populum Romanum actu ipſo comprobatum eſt. Hoc tempore ſubtilius copioſiusque excitatam legem Regiam ait Hottomam. *in Ind. LL. Rom.* poſtquam ſcilicet annis amplius D. florente populi libertate, ſopita fuiſſet. Sed quomodo excitata? an ad interrogationem Conſulis conſtituente populo? an Senatu volente? an calatis comitiis? oratione pro eadem habita? Probabilius videtur excitationem illam tacitè, ſenſim eoque ut ſupra ex Dione relatam eſt, modo factam eſſe, ita ut ceu per gradus & paulatim ad Regium ſtatum ita & ad Legem Regiam iterum deventum ſit, Auguſto uno pa-





tienti populo imperante: *Quid interest suffragio populus  
 voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?* ait  
 Julianus *in l. 32. ff. de legib.* Cæterum cum Regium no-  
 men Augusti tempore adeo adhuc exosum fuerit, ut,  
 Cæsar ROMULUS sine offensione populi dici non po-  
 tuerit. Nec Augusti prudentiæ, modestiæque, nec po-  
 puli ingenio conveniens crediderim, quod populus aper-  
 tis verbis omnem omnino potestatem abdicaverit aper-  
 taque Regiâ Lege latâ pristinae libertati, triste valedixe-  
 rit. Imo fuere, sub Augusto rerum potito adhuc comitia  
 quamvis rariora. Fuit Senatus quamvis exiguæ pote-  
 statis. Fuere & aliæ mortuæ libertatis reliquiæ, quas  
 Cæsar reliquit, ut populus easdem intueretur, sicque a-  
 missæ libertatis minus recordaretur. Namque utut Au-  
 gustus eas contraxerat vires, ut, si Neronis illud *Oderint  
 dum metuant.* cogitare eâque quâ pollebat potestate  
 uti voluisset, facile legem Regiam ferre populum cogere  
 potuisset. Ita Tacitus, Dio, Suetonius; Veruntamen  
 cum is foro usus fuerit auramque captaverit popularem,  
 adeo quidem, ut populo sæpe cesserit potius, quam amif-  
 sæ libertatis vulnus sentire eum voluerit: proinde Le-  
 gem Regiam, Potestatem Regiam, deniq; quicquid Re-  
 gium fuit, abominationi fuisse arbitror eo tempore. Im-  
 perabat unus Cæsar populo: sed tali qui sibi imperari ab  
 uno scire nolebat. Quid? Quoties non restitum fuit  
 Augusto? Audiamus Suetonium cap. 34. in vita Augusti  
 inquiētē: *Leges retractavit & quas dā ex integro sanxit,  
 ut sumptuariam & de adulteriis, & de pudicitia, de ambi-  
 tu, de maritandis ordinibus. Hanc cum aliquanto quam  
 cæteras severius emendasset, præ tumultu recusantium  
 perferre non potuit nisi ademptâ demum pœnarum parte*  
*lenita-*



lenitate, & vacatione triennii data, auctisque præmiis.  
 §. III. Non ergò probanda sententia eorù, qui solenni sanctione tēpore Augusti latam hanc L. putant DD. comm. juxta *Hahn. in observat. theor. pract.* Nec ad stipulandum Censeo Joh. Corasio & Francisco Connano *lib. 1. Comm. c. ult. n. 3.* aliisq; qui putant nullam unquam legem Regiam esse latam. Quod lex hæc (debebat enim esse conventio & pactum totius populi) consensu destituatur, populo metu coactò dolisque illuso; Sed Respondetur. Tritum est, quod nec metus omnis, nec dolus, omnes statim conventiones infringat. Et quod metu majoris mali fit, sponte fit, magisque ad actiones voluntarias quam non voluntarias inclinare videtur *Aristot. 3. Ethic. cap. 1.* Quod nisi agnoscat Connanus omnia pacta quæ belli tempore, induciarum pacisq; causa ineuntur, facile subvertet *Suth. de mero & mixt. Imp. aph. 47.* §. IV. Minimè omnium probo quod Paurmeisterus *de juris d. Imp. Rom. lib. 1. cap. 5.* falsitatis arguit, quicquid ad probandam hanc legem adduci solet. Ne Romuli quidem tempore ullam latam esse Legem Regiam statuens. Ego quidem (sit sua cuique sententia) uti tantum historiis tribuo, ut Augusti tempore solennem lationem factam haud dicam, ita tantum etiam do ingenuitati Jurisconsultorum & Juris Compilatorum, quorum tot luculenta de hæc L. Regia habemus loca, nec historicâ fide destituta, ut nullus dubitem aliquando latam esse L. Regiam. Sed quid ad ea loca Paurmeisterus? Videamus. I. Ad Locum Livii. 34. excipit Legem illam Regiam de Regum Imperio non agere, tum & statum reipubl. talem legem non admisisse contendit, siquidem apud præfatos Reges non πανβασιλεία sed καὶ νόμον fuerit. Ast Legem





gem Regiam eam latam esse de potestate Regum ex circumstantiis apparet, & antedictis probabile fit. An autem *παραβασιλεία* per eandem translata sit, alterius quæstionis est. Certè tantum in Reges priscos translatum fuit imperii, ut populus ad nomen Romuli exhorruerit. Quo jure Romulus unus sacra & prophana ordinavit? annon ex consensu & conventionem vagi primum accurrentis populi? Annon ex lege Regia? cum ipsa Urbe nata? II. Ad *l. 14. ff. de manumission.* ubi dicitur lex Augusti excipit: non ibi significari legem aliquam Regiam, sed de privilegio aliquo, beneficiove agi, ut & in *l. un. Cod. de Caduc. tollend.* Sed, quodnam aliud beneficium? Quod Augustum Privilegium nisi lex Regia? Certè ut ut dissentire sæpè à Proculianis Sabiniani, ab aliis alii, non tamen video ullibi in pandectis negari *Principem legibus solutum.* *Indeque ad solennitates manumissionis ceterasque leges mere positivas non teneri.* Quo jure Princeps solutus? Ulpianus in *l. 1. ff. de Constitut.* *Princip.* dicit id *Lege Regia* factum: Paulus, in *d. l. 14. id lege Augusti.* Justinianus in *d. l. un. privilegio Augusto.* Omnes cum eodem nitantur fundamento, soluta scilicet Principum potestate, procul dubio eandem istius fundamenti habebunt rationem unamque legem intelligent. Et quid clarius dici potest quam quod dicitur *l. 1. ff. de Constit. & ff. de Concept. ff. & Cod. d. Vet. jur. enucl.*

III. Excipit Paurmeisterus ad ea, Ulpianum falso & adulatoriè in *d. l. 1.* locutum eundemque Justinianum suis locis *καὶ πῶς* secutum. Sed ea perversitas Ulpiani probanda erat. Quis enim id de Ulpiano credat? qui Imperatoris primū Tutor, deinde Consiliarius, tandem & prætorio Præfectus designatus est; teste Lampridio.  
Quem



Quem ipse Imperator amicum appellat *l. 4. C. de contr. stip.* Imo Parentem *l. 4. C. locat.* Diocletianus vero Maximianus aliiq; Imperatores prudentissimi aliisque titulis honorarunt. *l. ult. C. de Instit. & substit. l. un. S. ne autem C. de Cad. toll.* Is ne tam apertè adularetur Alexandro severo? qui singulari odio in adultores & mendaces, omnes ex aula ejecit, contra veraces & doctos (quos inter primus fuit Ulpianus) recepit? qui Thurinum Verconium, quod accepta pecunia falsò Imperatoria responsa jactasset fumumq; vendidisset, necari iussit: clamante præcone, *pereat fumo qui fumum vendidit!* Huic ne Ulpianus ex composito fumum venderet? Id sane verò simile non est. Nihil ille hic nec ausus, nec potuit. Imò id nobis ex historiis liquet, quod Ulpianus veritatis amore militum scelera gravius taxando in odium eorum venerit, ab iisq; quamvis primo obiectu purpuræ Imperatoris severi defensus, postea tamen occisus fuerit. *Guthberlet in Chron. ubi de Alexand. sever.* Et quid utilitatis severo fuisset ex figmento Ulpiani? Vel quid Justiniano exinde sperandum? At suave est quod ait Paurmeisterus. Eam esse naturam relationis ut, nisi constet de relato, nihil operetur. *auth. si quis in aliqua C. d. edend.* Jam verò si Ulpianus & Justinianus referant **LEGEM REGIAM**, cum tamen de illa ceu relato non constet, ideo relationis nullum esse effectum. Petitur principium. Quando enim ex variis juris locis **LEGEM REGIAM** probatam do, nec aliud regeritur, quam fidem iis adhibendam non esse, quia **LEX REGIA** probata non sit, nihil adduci video nisi quod est in quæ-  
stione.



stione. Nec difficulter interim etiam simpliciter propositionem illam negare possum, quod non constet hic derelato sive **LEGE REGIA**; Imò constat ex Livio **LEGEM REGIAM** fuisse, constat ex Dione. lib. 53. eandem & de potestate unius Regis sive Principis egisse, & etiam in scripturam redactam fuisse; ipse enim Dion. d. 1. ad verba ipsius Legis latina provocat, ubi Principibus tributum sentit, ut legibus essent soluti  $\omega\sigma$ , inquit, *αὐτὰ τὰ λαθινὰ ῥήματα λέγει*. Quin imo post eam legem etiam secutum esse Sc̄tm. in eandem sententiam idem Author ibidem docet: Alii etiam sub Vespasiano renovatam putant, forte quia extincta stirpe Augusti post Galbam Vitellium & Ottonem Vespasianus non valde illustri loco ortus ad Imperium pervenit. vid. Bach. ad §. 6. J. de J. N. G. & C. ibiq; Anton. August. de LL. Rom. Constat etiam ex ICtorum veterum monumentis, de quibus capitibus hæc lex egerit, quæ statim persequemur. Constat ex omnium Historicorum analogia rem ipsam quam hac Lege translata dicimus in Principem, ad eundem circa id, quod diximus, tempus pervenisse. An necdum de relato constat? Non movet, quod quidam Historicorum rem ipsam, quidam nomen non satis exprimant, sufficit utrumq; aliunde colligi posse. Nullus ICtorum vel Historicorum prodidit secundum caput L. Aquiliæ: Probabilia tantum sunt & levi conjectura constantia, quæ Cuiacius, Freherus & alii adducunt; neq; ullus unquam tamen dubitavit, L. Aquiliam tribus capitibus distinctam latam fuisse. v. §. 12. J. ad L. Aquil. l. 2. ff. eod. Cur **LEGEM REGIAM** ergo negaremus exinde quod integras tabulas non habemus? Non desunt interim qui luculenta



culenta ejus adhuc in medium producunt fragmenta, de quibus Anton. Vacca. *ad tit. ff. de Constit. Princip. & Onuphr. lib. 2. factor.* Hottomannus in *Jndice LL. Roman.* ait se vidisse, qui testarentur Romæ in æde Lateranensi in ære incisam hanc scripturam, *fædusve cum quibus volet facere liceat, ita ut licuit Divo Aug. Tib. Julio Casari August. Germanico. Utique ei Senatium habere, relationem facere, remittere Senatus consulta per relationem discessionemque facere liceat, ita ut licuit Divo Aug. Ti. Julio Casari August. Ti. Claudio Casari Augusto Germanico. Utique cum ex voluntate auctoritateve, jussu mandatuve ejus presenteve eo Senatus habeatur, omnium rerum jus perinde habeatur, servetur, perinde ac si è lege Senatus edictus esset habereturve. Utique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemve cujus rei petentes Senatui populoque Romano commendaverit, quibusve suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur. Utique ei fines pomerii proferre, promovere, cum ex Republica censebit esse, liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Casari August. Germanico. Utique quæcunque ex usu Reipublicæ, majestate divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum esse censebit, ei agere, facere jus potestasque sit, ita ut Divo Aug. Tiberioque Julio Cas. Aug. Tiberioque Claudio Cas. Aug. Germanico fuit: Utique quibus legibus plebisve scitis scriptum fuit, ne Divus Aug. Tiberiusve Julius Cas. Aug. Tiberiusve Claud. Casar Aug. German teneretur, ab iis legibus, plebisque scitis, Imp. Casar Vespasianus solutus sit: quaque ex quaque lege, rogatione divum Aug. Tiberiumve Julium Casarem Aug. Tiberiumve Claudium Casarem Aug. Germanicum facere*



*cere oportuit, ea omnia Imp. Cæsari Vespasiano Aug. face-  
re liceat. Utiq̄ue quæ ante hanc legem rogatam acta ge-  
sta, decreta, imperata, ab Imperatore Cæsare Vespasiano  
Augusto jussu mandatūve ejus à quoq̄ sunt, ea perinde,  
justa rataque sint, ac si populi plebisve jussu acta essent.*  
Sic Tacitus lib. 29. Annal. Imperatori Vespasiano impe-  
rium confirmatum fuisse his verbis innuit: *Dum Sena-  
tus omnia Principibus solita Vespasiano decrevit, &c.*  
Insimulatur quidem falsitatis fragmentum illud, sed ve-  
reor ne eodem, quo Ulpianus jure.

### C O N C L U S I O III.

#### §. I.

**S**ED nunc videamus LEGIS istius REGIÆ summam.  
Quantum quidem ex superiori recitato fragmento  
atque Juris Civilis locis apparet, duobus Lex illa con-  
stitit capitibus. 1. In ferendis legibus, quas Princeps  
existimaret fore ex usu Reip. 2. Ut ipse Princeps le-  
gibus solutus esset. De primo capite agitur *in l. 1. ff. de  
Constit. Princip. & §. Et quod principi. 6. I. de I. N. G.  
& C.* De secundo *in l. 31. ff. de ll. l. 4. C. eod. l. 14. ff. de  
Manumiss. l. 56. & seq. ff. de leg. 2. l. 13. de leg. 3. l. 3. C.  
de testam.* Utrumque paulo penitius inspiciamus.

#### §. II.

Primum caput Ulpianus in d. l. i. his exprimit  
verbis: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: ut-  
pote cum LEGE REGIA, quæ de imperio ejus lata est,  
populus ei & in eum omne Suum imperium & potestatem  
conferat. Quodcunq̄ue igitur Imperator per epistolam  
& subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de  
plano*



plano interlocutus est, vel edicto præcepit: legem esse constat: hæc sunt, quas vulgo constitutiones appellamus. Planè ex his quædam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur: nam quæ Princeps alicui ob merita indulgit, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit: personam non egreditur. Ait ICtus: Quod Principi placuit. Ubi observandum non omne omnino placitum Principis pro lege esse, sed id tantum, quod ex æquo & bono tanquam publicè utile constitutum est, neque cum Jure naturali aut divino pugnat; si quidem placendi aut placiti vocabulum non voluptatis, non libidinis, non etiam absolutæ voluntatis, sed justitiæ, rationis & consilii est, arg. l. si sic. 75. ff. de leg. 1. l. fideicommissa. 11. §. 7. ff. de leg. 3. Hinc laudatissimo sanè exemplo Antiochus III. ad singulas civitates literas dedit iisque jussit, ne sibi parerent, si quid forte præter jus & fas ediceret *Balduin. & Myns. ad d. §. 6. I. de I. N. G. & C.* Tum etiam ne quidem omne placitum Principis honestum pro lege est, sed illud demum, quod in id Principi placet, ut sit lex generalis. *Harmenop. l. 1. t. 1.*

## §. III.

Ait JCtus: *Legis habet vigorem.* Id est, legis habet efficaciam. Neque enim si legis vocabulum specialiter accipias, uti definitur in §. lex. 5. I. de I. N. G. & C. (lex est quod populus Romanus senatori magistratu interrogante veluti Consule constituebat) Principis placitum ipsa lex est, sed eandem habet efficaciam eundemque vigorem tantum, quicquid dissentiat *Bach. ad illa vocabula. Inst. d. t.*

## §. IV.

Ait JCtus: *Utpote cum LEGE REGIA quæ de ejus*  
C 2 *impe-*



*imperio lata est, &c.* Optima sanè ratio est ad probandum vigorem placiti Principalis. Quamvis enim ante Legem Regiam populus, senatorio Magistratu interrogante, leges dare solitus & non unius ea potestas fuit, nihilominus tamen translata potestate populi in Principem, Unus ille merito non minoris vigoris leges fert quam populus ante, siquidem eadem potestate potitur. Ante hanc potestatem acceptam Princeps legem propriè condere non potuit, siquidem leges condere est supremæ in Rep. potestatis. vid. Sutholt. diff. 1.

## §. V.

Inquit: *Ei & in eum*: Horum verborum varia est Doctorum interpretatio. Accursius ita explicat: *Ei*, id est, in honorem Principis; *In eum*, id est, in onus Principis. Aliter Duarenus ad tit. *de Constit. Princ. & Disp.* lib. 2. c. 19. ubi sic explicat, ut Principi non tantum omnis potestas collata sit in provinciales populo Romano subiectos: sed in ipsum quoque populum Romanum. Aliter Donellus *comm. Iur. Civ. l. 1. c. 8. & 15.* Aliter Connanus *comm. Iur. Civ. lib. 1. c. 16.* Quem sequi videtur Besoldus in *Oeconomia Iur. lib. 1. tit. 3. & 4. n. 9.* ubi statuit verba *Ei & in Eum* Synonima & Emphaseos gratiâ posita esse, ut ostendant, omnem omnino potestatem suam & imperium populum Principi & in Principem transtulisse. Aliter Cujac. lib. 15. *Obs. c. 20. & Bocer. in tr. de Investitura Feudi c. 3. n. 91. & seq.* qui putant verba illa ita esse accipienda, ac si dicatur; Principi à populo Romano omnem potestatem fuisse datam non modo in Cives Romanos sed & in Principem. Aliter Harprecht *ad d. §. 6. n. 9.* aliique, qui vocabulum *Eum* acci-



accipiunt pro reciproco, *se*, ut sensus sit populum Principi imperium etiam in *se* transtulisse. Nos circumstantias rei textumq; contemplantes, *Besoldi* eumq; sequentium præferimus interpretationem.

## §. VI.

Ait *JCtus*: *Omnem potestatem* sc: quæ penes populum adhuc fuit & qualis illa fuit, non tyrannidem. At ob stare videtur *l. 9. ff. de ll.* ubi *Senatus* ipse adhuc jus fecisse vel facere posse dicitur. Verum respondetur; quod postea *Jus* fecit *Senatus*, ipsum jussu & ex voluntate Principis fecisse *l. cum hic status. 33. ff. de donat. int. vir. & ux. l. item veniunt 20. §. præter hæc. ff. de hered. pet. l. 3. & 8. C. de ll.* Neq; obstat etiam *l. de quibus 32. ff. de ll.* quæ referenda est ad tempus, quo *Respublica* stetit, necdum potestate in unum translata. Cæterum an potestas illa à populo communicativè, an privativè translata sit? hic quæri solet; *Marius Salomonius*, eumque secutus *Duarenus* & alii, communicativè id factum, populoque jura quædam reservata esse autumant; Verior tamen est sententia eorum, qui statuunt privativè hoc jus Principi concessum. *per d. §. 6. I. de I. N. G. & C. & d. l. 1. ff. de Const. Princ.* Non juvat *Salomonium*, quod etiam occupatâ *Republicâ* *Senatus* munia sua obierit, *Senatus* consulta fecerit, imò etiam Principes jura condituri, *Senatum* desuper consuluerint, oratione plerumque in *Senatu* habita per *Quæstores* & *Candidatos*: Unde etiam Principum *Constitutiones*, *Orationes* quandoq; dicuntur, nonnunquam *Senatus* consulta *l. pen. ff. ad Sctm. Tertull. l. 8. de transact. l. 32. pr. ff. de Donat. inter vir & ux. l. ff. de serv. fugit.* Idem eo consilio ab *Impe-*





ratoribus factum, ut (quod ante dictum) patientiâ illâ & conniventiâ Majestatem noviter partam confirmarent, nec Patres ereptam dignitatem dolentius ferrent vid. *Bud. ad l. ult. ff. de Senator.*

## §. VII.

Inquit: *Quodcunque igitur Imperator per epistolam & subscriptionem statuit.* Principum placita, quæ legis habent vigorem, in genere dicuntur *Constitutiones d. l. 1. & §. 6.* Quamvis *Constitutionis* vocabulum latioris significationis sæpè omne superioris significet decretum. Prior & strictior significatio est hujus loci & sub se comprehendit tres species. 1. Epistolam. 2. Decretum. 3. Edictum. Epistola nihil aliud est quam Rescriptum, quo Princeps vel ad libellos præsentium, vel ad Magistratum absentium consultationes respondebat, vel etiam saltem subscribebat. Libellos enim Principi litigatores offerebant, quibus Ipse de Consilii sententia respondebat: qualiter factum constat *ex l. sed adde 19. §. 9. ff. locat. l. Divi fratres pr. de Iure Patron.* Magistratus autem si quid obscurius & gravius ad se delatum esset, Principem per literas consulebant, Princeps respondebat, ut constat *ex l. 3. ff. de testib. l. debitoribus 31. ff. de Re Jud. l. Divus 7. ff. de interrog. in jur. fac.*

## §. VIII.

Inquit: *Vel cognoscens decrevit.* Secunda Constitutionum species est Decretum, quod quamvis alias in jure nostro aliter accipiatur, hoc loco tamen nihil aliud est, quam sententia Principis inter duas partes, quarum de causa ipse cognoscit & judicat *vid. §. ult. I. de hered. instit.*



*instit. l. 3. ff. de his quæ in test. del.* Sic Imperatores frequenter fecisse, ut in causis privatorum jus dicerent, ex historicis clarum est. De Julio Cæsare testatur *Suetonius c. 43.* De Augusto *idem c. 33.* De Claudio *idem c. 15.* De Hadriano & Severo *Spartianus de Marco Antonio Capitolinus in vita Veri.* Imò ex hujusmodi decretis conquisitis Antonini & Severi sex libros Paulus Jctus conquisivit, quæ præsentem se & Papiniano aliisque lata sunt, è quibus multa Paulus ipse non probavit, uti apparet ex *l. Æmilius ff. de minoribus l. ult. ff. de Iure Fisci l. paula §. 1. ff. de leg. 3.* Adde *Cujac. 2. Obs. 26.* Equidem illud ex Decretis & Epistolis Principum apparet singulare, quod Princeps non tantum directò, sed etiam per obliquum legem universalem possit reddere. Quod ab aliis Magistratibus decernitur in causa unius, illud non potest præjudicium afferre causæ alterius, sed habet locum regula illa: *Inter alios acta vel judicata aliis non nocere,* ut habet *Rubr. l. 7. C. tit. 60.* Quæ ratio differentiæ? Theophilus ait, quod Princeps, utpote omnium Dominus, præsumatur citra ullum odium, gratiam aut sordes ferre sententiam, quæ ratio in aliis cessat. Rectius Bach. Quod cum Princeps supremus omnium sit Magistratus, ideo etiam merito omnibus illius judicio acquiescendum esse.

## §. IX.

Inquit: *Vel de plano interlocutus est.* Non tamen omnis interlocutoria Imperatoris statim lex est, uti liquet ex *l. 2. & 3. C. de ll.* Cum quibus non pugnat *l. ult. C. eod. & l. 1. §. 6. d. t.* Glossa Bart. & alii Doctores distinguunt inter sententiam interlocutoriam, quæ in Corpore Juris  
clausa.



clausa est vel non. Ridiculè ! Nullum Corpus Juris Ulpiano in mentem venit , neque de sententia in eodem contenta ulla unquam fuit controversia ; neque sic interlocutoria Principis differret ab interlocutoria Magistratus. Bach. distinguit an Princeps ipse tulerit interlocutoriam, an vero Consistorium nomine Principis. Nec hoc placet, quod sententiæ, quæ nomine Principis dantur, licet à Cōsistorio datæ, interlocutoriæ tamè sint Principis. Communior est sententia Wesenbecii distinguentis an animo legis ferendæ interlocutus sit Princeps nec ne? Quæ & mihi probabilior videtur sententia.

## §. X.

Inquit: *Vel Edictopræcepit.* Tertia species Constitutionis est Edictum, quod nihil aliud est, quam jus à Principe proprio motu constitutum, sive illud fiat per programmata, sive præconis voce. Hujus loci sunt tredecim Edicta Iustiniani. Item Edictum Divi Marci, de quo in §. ult. I. de Usuc. Item Edictum Divi Hadriani, de quo in l. ult. C. de Edict. D. Had. toll. item l. Edictalis. 7. C. de secund. nupt.

## §. XI.

Inquit: *Plane ex his quædam sunt personales, &c.* Hic nova proponitur divisio Constitutionum: nam aliæ sunt generales, aliæ personales. Generales sunt, quæ regulariter omnes tenent, & ad exemplum trahi possunt d. §. 6. I. de I. N. G. & C. l. 3. C. de ll. l. 1. ff. de Const. Princ. Unde rectè ait Bachov. quod lex debeat indefinitè scribi sine relatione ad certas personas. Personales sunt, quæ ad certas personas referuntur, nec ad exemplum



plum trahuntur *d. l. 1. d. §. 6.* vocanturque, est jus singulare, eò quod contra rationem juris communis conceditur *l. 16. ff. de ll. & privilegium quasi privata quædam lex: vel quod privet legem generalem c. privilegia 3. dist. 3.* Illud hic quærere liceat, An ergo omnis Constitutio Principis vim habeat obligandi subditos? Quod de qualibet lege à qualibet summa Majestate latâ dicitur, illud etiam Principum Constitutionibus in statu Monarchico sinè dubio competit, ut sc: obligent subditos indistinctè ad pœnam saltem. Quod si enim injusta & impia sit Constitutio ad obedientiam neutiquam obligat: sed tum Deo potius obediendum est quàm hominibus *Act. 15. c. non semper malum gr. & c. si Dominus jubet. c. 11. q. 3.* Attamen ad pœnam obligat etiam impia supremæ Potestatis Cõstitutio, si eidem impia constituenti, porrò subesse velis; quod tamen & hætenus limitandum est, ut non liceat tibi vi vel armis resistere, sed patienter pœna tantum ferenda sit; Secus est in Ordinibus, quibus communicatum Jus imperantis illudque curæ est, ut simul videant, ne quid Respublica detrimenti capiat. vid. *Wendel. l. 2. pol. c. 11. th. 10.*

## §. XII.

Inquit: *Quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit.* Quod Princeps Ita alicui sine exemplo vel pœnam irrogare vel remittere possit, illud tum ex hoc textu, tum alias ex jure civili satis manifestum fit *l. Rescripta 7. C. de precib. Imp. off. l. ad bestias. 31. ff. de pœnis.* Ant. Matth. *disp. de L. Regia th. 11.* illud admodum inconsiderate dictum trahit. *l. nec damnosam 3. ff. eod. tit. & l. ult. C. si*

D

cont.



*cont. jus velutil. publ. & l. ita vulneratus 51. ff. ad l. Aqu.  
 l. 1. §. quorum ff. ad Sctm. Turpill.* Verum enimverò  
 textus penitus inspecti nihil quicquam ad rem faciunt.  
 Verum quidem est, quod pœnæ non sint in arbitrio judi-  
 cantis, etiam de Jure Civili: quod contra utilitatem pu-  
 blicam nihil postulari debeat, & quæ sunt similia in texti-  
 bus à Matth. allegatis. Ast planè exinde non sequitur,  
 summum Principem non posse alicui sine exemplo sub-  
 venire; Si leges Civiles spectes ab ipso Principe latas,  
 non dubium est, quin contra eas alicui gratiam facere pos-  
 sit easdemque excedere. Sed quid de legibus divinis?  
 Sanè non facile criminum, quæ eo jure vindicantur, gra-  
 tiam facere debere constat ex textu ad *Hebræ. 16. v. 28.*  
*1. Reg. 40. v. 22.* & iis quæ tradit *Pet. Mart. class. 4. c. 4.  
 n. 14.* Quod si tamen evidens aliqua ratio adsit, & istius  
 criminis indulgentiam facere posse Principem non dubi-  
 to. Cæterum si talis ratio non adsit, nihil est quod re-  
 mittat Princeps contra legem Dei, cujus Minister est, ad  
*Rom. 13. v. 8.* Nō suū, sed illius Iudicium exercet. Sic Lu-  
 dov. Pius gratiam homini noxio jam factam irritā habuit,  
 cū post rescriptū indultū incidisset in verba *Psf. 106. v. 3.*  
*Facite Justitiam quovis tempore vid. Wis. ad Inst. de I.  
 N. G. & C. th. 29.* & memoriā dignum est Biantis dictum.  
 Qui damnaturus quempiam ad mortem lacrymatus est  
 ob hominis merito deplorandam fortunam. Verum  
 cum quidam dixisset, quid est quod defleas? siquidem in  
 arbitrio tuo est hominem condemnare & liberare, respon-  
 dit Bias: necessarium quidem esse naturæ condolere, à  
 lege autem & justitiæ recedere regulā magis periculo-  
 sum videri. Fusius hæc prosequitur *Carpz. pr. Cr. p. 3.  
 q. 150. & Heigius l. 2. q. 24.* Ex eadem evidenti ratione  
 nullus



nullus dubito, quin Princeps etiam delictum jure divino non capitale facere possit capitale, atque delictum jure divino naturalive prohibitum sub arctiori poena prohibere *Suth. dis. 16. th. 37.*

#### CONCLUSIO IV.

**A**Tque hæc de primò capite LEGIS REGIÆ. Alterum, quod Principem legibus solutum reddit, describitur nobis ab eodem Jcto Ulpiano eleganter lib. 13. ad L. Juliã & Papiã hisce verbis: *Princeps legibus solutus est. Augusta autem licet legibus soluta non est, Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt l. 31. ff. de leg. l. 3. C. de test. Solus Princeps legem abrogat & condit, l. fin. C. de ll. Solus interpretatur, l. 1. C. eod. Solus ab aliis latas confirmat aut authoritate donat l. 2. C. de off. præf. Or. & Ill. Quia olim & hoc ipsum populus poterat, Dion. Halic. l. 1. Cic. 3. de ll. & Philipp. 5. Supplet suã præsentia omnia solennia Juris. Sed & singula hæc Ulpiani verba examinemus. Inquit Jctus: *Princeps*. Principis vocabulum, quod alias quidem quatuor modis accipitur, Braudl. l. 1. *Iur. publ. c. 4.* hic strictissimè accipitur pro Imperatore Romano, uti & in l. 1. ff. de *Const. Princ.* Inquit: *Legibus*. Vocabulum legis 1. generalissimè accipitur pro scripti & non scripti juris parte l. 6. §. 1. ff. de *Iust. & Iure*. 2. Generaliter pro jure scripto l. 32. l. 37. ff. de ll. 3. Specialiter pro ea juris scripti parte, quam populus Romanus Senatorio magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat §. 4. *I. de I. N. G. & C.* 4. Specialissimè pro legibus 12. tabb. vel alia lege veluti Æliã Sentiã, Juliã, Papiã & simili, sive illa sit divina, sive illa sit humana. 5. Denique accipitur etiam*

D 2

pro



pro pacto, quomodo dicitur lex Commissoria *l. 1. Et t. ff. de l. Commiss. vel etiam pro conditione obligationis l. 22. ff. de statu hom. l. 10. C. de pact. l. 3. C. de contrab. empt.* Quibus legibus jam ex sententia Ulpiani Princeps solutus dicendus sit, de eo maximè inter Doctores controvertitur. Græci putant pœnariis tantum absolutum *Cuiac. l. 15. O. c. 30.* Sunt qui ex inscriptione *d. l.* arguunt, per legis vocabulum ibi tantum intelligi caducarias, Juliam & Papiam. vid. *Ant. August. lib. de ll. c. ult.* Alii solemnitatibus tantum solutum dicunt, *Coras. 2. misc. ult.* Alii Principem legibus solvunt quoad vim coactivam, non etiam quoad directivam, quos recenset & sequitur *Fachinæus in cent. 2.* Alii Principem legibus solutum videri, non vero esse contendunt *Gothof. ad l. ex imperfecto de leg. 3. l. g.* Alii certis quibusdam civilibus eum tantum solvunt, quod operose adstruit *Tob. Paurm. de Jurisd. l. 1. c. 6.* Quorum fundamentum præcipuum est, quod legibus disertè relatum sit, quibusdam non esse solutum veluti lege Falcidiâ & lege Glicia. *l. 4. C. ad l. falc. l. Pap. S. si Imperator ff. de inoff. test.* Verù hi omnes in defectu peccant minusq; Principi tribuunt quâ par est. Alii contra in excessu peccant, Principem divinis naturæq; legibus solventes. Quæ fuit sententia Juliae, Caracallæ novercæ inquentis: Si libet, licet: An nescis te Imperatorem esse: leges dare, non accipere? Eiusdemq; sententiæ fuit Assentator Asiæ Regis Antigoni, qui omnia Regibus licere & semper licuisse dicebat. Mihi hac in sententia placet Bachovii Wissenbachii, Antonii Matthæi eorumque qui stantunt Principem legibus naturalibus divinisque non esse solutum. Tum quod isthæc immota sint principia. *S. pen. Inst. de jur. nat. Gent. & Civil. S. ult.*



*S. ult. Inst. de legit. Ang. tut. adde Deut. 17. v. 18.* Tum quod ab Ulpiano eo loco, & in *ff. sub titulo de legibus de naturalibus divinisque præceptis* plane non agatur. Tum quod Princeps non possit plus à populo (cui acceptam fert hanc solutionem) accepisse, quam ipse populus habuit. Jam vero Populo nunquam fuit potestas in jus divinum aut naturæ, ergò ab eodem jure neminem absolvere potuit. Atque hinc cuilibet animadvertere in proclivi est, Principem uti privatum teneri etiam conventiones, maximè leges Regni fundamentales servare. Nec enim quicquam naturali rationi convenientius est. *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de Constitut. pecen.* Et sane justitiæ commutativæ (quæ in conventionibus servatur) proprium est, ut nullus personarum habeatur respectus. Sed æqualitas proportionè Arithmetica servetur. Tritum est: Contractus claudicare non debere. *l. labeo. ibi ultro citroque ff. de contr. empt. l. emptio ff. de resc. vendit.* Quin & ex necessitate reipublicæ Principem exinde teneri non dubito. Quis enim cum Principe (nisi ad servandam fidem teneretur) contraheret? Hinc refert Suetonius Augustum Populo Romano congiarium promissum repositenti respondisse: *Se bonæ fidei esse.* Interim Principem legibus quibuscunque civilibus, quæ propriè leges sunt, solutum dicimus. Tum quod oratio Ulpiani sit indefinita quæ æquipollet Universalis. Tum quod ipsa praxi hic sensus legis comprobatus sit. Tum quod nemo quisquam sibi imperare possit *l. pen. ff. de recept. qui arbitr. recept.* Non obstant quæ Paurmeisterus alii-que adducere solent, nimirum *l. 11. ff. de Evict. l. 15. §. item si forte ff. de R. V. l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loc. publ. l. digna vox. C. de ll. l. 4. C. ad L. Falcid.*





1. Pap. §. si Imperator. ff. de inoff. test. 1. ex imperfecto de leg. 3. & alia quæ facili negotio solvit Ant. Matth. in Coll. Pand. disp. 2. Cæterum ex hisce animadvertere datur, Principem nemini posse jus suū adferre, quod cōfirmatur l. 4. C. de emancip. lib. 1. ult. in pr. ff. de natalib. restituend. l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quid in l. publ. Unde Bartolus dixit; Meus Codex non est Codex Principis, quod & cæteri admittunt interpretes uno ore. Excipiunt tamen, nisi vel justam auferendi causam habeat Princeps pretiumque rei solvere paratus sit l. venditor. 13. §. 1. ff. com. præd. l. 2. C. pro quib. caus. serv. præm. libert. acc. vel plenitudine potestatis uti velit, Gail. 2. obs. 46. Prima quidem exceptio sine dubio procedit: certum enim est, res subditorum sub eminenti dominio esse civitatis, ita, ut civitas & qui civitatis vice fungitur, easdem perdere & alienare possit, non tantum propter summam necessitatem, quæ privatis quoque jus aliquando in alieno concedit, sed ob utilitatem publicam, cui privatam cedere ipsi voluisse censendi qui in civilem cœtum cōiere. Grot. de l. b. & p. l. 3. c. 20. Perez. C. de navib. non excus. Quantum ad secundam exceptionem, vix est ut admitti possit aut conciliari cum prima. Quod si enim Princeps plenitudine potestatis sine justa causa cuilibet privato jus suum auferre potest, juxta exceptionem secundam; quid opus est justa causa juxta primam? Tantum jus Principis non probat l. 11. ff. de evict. l. 15. de R. V. l. 3. C. de buadr. præf. & lib. 1. Sam. 8. c. 8. v. 9. & 16. Ubi non de eo quod Princeps jure facit, sed more & facto agitur: qualiter etiam omnia quæ plenitudine potestatis sine justa causa & ratione peraguntur, facta putem.

Ait JCtus; *Solutus*. Solutionis vocabulum significat pro-



propriè dissolutionem ejus quod ligatum est; & quidem in Jure nostro generaliter dicitur solutum, quod liberatum est à nexu *l. 54. ff. de solut. l. solutum ff. de V. S.* Quamvis strictè pecuniæ saltem numerationem denotet *d. l. solutum. Ibiq; Goedd.* Hoc loco Ulpianus solutum legibus accepit pro eo, quod est non teneri legibus. *Budæus ad d. l. Princeps. scilicet: iis, in quas Populo jus erat, quæq; propriè leges sunt, civilibus; ut ante dictum.* Sic Principi legatum relictum mortuo eo ante diem legati cedentem non fit caducum *l. 56. ff. de leg. 2.* Sic Princeps testamentum facere potest absque solennibus *arg. l. 19. C. de test.* Donatio pura aut simplex Augustæ facta valet. *l. 26. C. de donat.* Princeps extra ordinem cognoscens sententiam ferre potest altero absente *l. 47. ff. de Re jud.* aliaque infinita hujus rei passim extant exempla.

Inquit Jctus: *Augusta:* Augustæ vocabulum hic significat uxorem Augusti, uti etiam in *l. si Augusta ff. de leg. 2. in l. fiscus. in f. ff. de jure fisci. l. 6. §. ult. ff. de pæn. l. 3. C. ubi Senat. l. ult. C. de quadr. præscript.* & alibi sæpissimè; quamvis in *l. ult. Cod. Theodos. de lustrali collatione* Augusti Sororem significet. Sensus ergo posterioris partis hujus legis clarus est; licet uxor Principis ex lege Regiâ legibus non fit soluta, ex privilegio tamen ipsius Principis idem habet. Atque hæc obiter & pro brevitate temporis de **LEGE REGIA** dicta sufficient. Id colophonis loco addo; Misere errare eos, qui ex jure Civili Romano antiquo & dicta **LEGE REGIA** jus potestatemq; Imperatoris moderni Augusti metiri volunt. Alia nunc rerum facies, Alia **LEX REGIA** Germanorum est, de quâ integrum tractatum Carpzovius conscripsit.

**F I N I S.**



*Præses ad Nobilissimum Dominum  
Respondentem.*

**E**Rgo Patrum Virtus Belli cantata togæque,  
Stirps Generosa, vetus, quâ FRIDERICE micæ;  
Nil juvat? Haud sat sunt, quæis Te fors alma beavit,  
Dona? Quid ulterius restat? & Ipse petis?  
Scilicet & proprio Laus ut Tibi Marte parata  
Splendeat: ac duplex sic Tibi cedat honos.  
Maçte novâ Virtute! Olim Patriæque Tuisque  
Auxilio fueris. Perge! Bonis avibus.

*Aliud.*

**S**Ectator pacis quod sis, rigidusq; satelles,  
Innuit id nomen, quod Fridericus habet.  
Quid nomen dico? pariter concurrat & omen,  
Dum veri juris dogmata vera teris.  
Fus pacem laudat, commendat, prædicat ipsam,  
Cum nobis pandit limina prima sua.  
Ergo laudandum, rem quod cum nomine jungas;  
Gloria permagna est, gloria digna cedro.  
Gloria neve minor, tibi quod lex Regia curæ,  
Quæ multum doctos. torst ubique viros.  
Regia materies, juvenum doctissime perge,  
Regius atque labor, Regia dona dabunt.  
Tandem quod superest, omnes tibi fausta precamur,  
Annuat & captis, hic & ubique Deus,  
I Friderice! tuum resonat quod nomen habebis,  
Perpetuam pacem, pacificosq; dies.  
Heidelbergenses quem tristes relinquere Clivi  
Incipiunt, hunc tu Clivia læta cape.

Sic Consalini Consalino suo amicè  
applaudebant.



*Auitis Virtutibus Generosæ stirpis in Generoso  
Viro- Juvene Domino*

Dn. FRIDERICO WILHELMO ab HOVE

Eq: Clivens. Sic applaudere debuit  
cognata manus

BERNH-HENRICI à MONSTER ex  
Meinhövell Eq: Monast.

**S**int, Veneris. Bacchi, Martis qui castra sequantur =  
Principis ad latus Tibi sunt meliora parata.  
Indagas Iuvenis Sacra Principis, ut brevi Princeps  
Stemmatis antiquam virtutem non morituram  
Sentiat, atque fidem: tuto cui Patria fidat.  
An proin in fatis? sic ut Vestigia Patris,  
Sic Magni secretis Avi? Sic ut Generosi  
Nominis & Generis nova gloria splendeat in Te?  
Ergò erit in fatis, Clivensi ut semper in aula,  
Ex Patria voto Tua stirps vigeat generosa,  
Sanguine cognato genitos alat, instar Avorum  
Consilio, atque fide qui demereantur utramque.

*Aliud.*

**D**escende cœlis numine prospero  
Astræa Virgo. Nubibus aurea  
Quid ora condis? Jam refloret  
Iustitiæ studiumque Juris  
Descende cœlis: en novus induit  
Athleta cristas & galeæ jubar  
Ferrumque stringit provocatque  
Herculeis pugiles lacertis  
Descende, quæso! res agitur tua  
Pro te V Vilhelmus stat novus armiger  
Hac in palæstra sustinetque  
Spicula semideum virorum  
Audit Themistos filia supplicis  
Votum V Vilhelmi: mox bona nuntia!

E

Vocata



Vocata præsto est Diva coelo  
Siderea remeans quadriga.  
O Maeste! clarum Nobilium decus  
Hoevene, virtus quo tua te rapit  
I perge præsentisque Divæ  
Auspicio generosus aude  
I quo decori gloria nominis  
Clarusque sanguis, quo facilem sequi  
Avara justæ fama laudis  
Ingeniique vocat sagacis  
Olim V Vilhelmum cinget epimode  
Astræa viatrix murice nobili  
Cinget galero splendidantes  
Inferet & digitis pyropos  
Ergo triumphā! gloria sic manet  
Te digna. Patris spes patriæ decus  
Hac in palæstra gloriosus  
Promeritum referes trophæum.

*Hisce gratulatur Contubernali & Com-  
mensali suo*

JOH: WILHELMUS à Schor-  
lemer Mindâ Westphalus.

*Aliud.*

**N**ihil intentatum Virtus generosa relinquit.  
Excitat hæc multos, mediis se immittere turmis  
Hostis, & immemores quæ exinde futura pericla;  
An quæso; jam jam minor excitat ardor ab HOVEN?  
Dum bellum doctis Regum de lege propinat,  
Et ferienda feris generosus pectora telis  
Tradit, & intrepidus solvendo quæque refundit?  
Qui es miles Themidis percharus, Disque fidelis,  
Milita, & adjutus Themide acri vince Minerva.

*Lubens accinit J. H. Metz:*



ULB Halle  
003 619 079

3



Sb.


VD 77











P. 412

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**LEGE REGIA**  
**ROMANORUM** 1661, 2

*Quam*  
**Favente Deo**

Sub PRÆSIDIO

*Nobilissimi, Excellentissimi, Consultissimiq<sub>3</sub>*

**VIRI**

DN. JOH. FRIDERICI BÖCKELMANNI  
J. V. D. ejusdemq; Facultatis in Celeberrima & anti-  
quissima Heidelbergensi Academia Professoris Ordina-  
rii p. t. Rectoris Magnifici, & Electoralis Curia<sup>e</sup>  
Aulicae Assessoris,

Præceptoris & Fautoris sui æternum colendi.

*Publicè ventilandam proponit*

FRID-WILHELMUS AB HOVE Eq:Clivensis,  
Author & Respondens.

*Ad diem Septembris horis locoq<sub>3</sub> solitis.*



HEIDELBERGAE,

Typis ADRIANI WYNGAERDEN, Academiae  
Typographi Anno MDCLXI.